



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De episcopo qui res suæ Ecclesiæ parentibus suis indiscretè tribuit. ccxiii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

careat illo honore: & prout beatus papa Gregorius ad Ioannem Panornium episcopum, & Marinianū scribit Raennatem episcopum, quia graue iugum atque vinculum ceruicis non pro ecclesiastica, sed pro quadam seculari dignitate defendit, permiffa, qua abutitur, dignitate careat: quoniam iure priuilegium meretur amittere, qui audacter vsurpat illicita.

Quod episcopus res sua Ecclesiae, nisi cum suo prius commutet, testamento legare non possit. Cap. CCXII.

SI quis episcopus condito testamento aliquid de ecclesiastici iuris proprietate legauerit, aliter non valebit, nisi tantum de iuris proprii facultatibus suppleuerit. *Ex cōcil. Agathē si, cap. 6.*

De episcopo qui res sua Ecclesiae parentibus suis indiscretè tribuit. Cap. CCXIII.

VT episcopi in rebus Ecclesiae circa propinquos suos exponendis reprehensionem caueant, & vt discretionis modum teneant. *Ex cōcil. Spalensi, cap. 10.*

De eadem re. Cap. CCXIII.

Quoniam multi episcoporum amore propinquorum suorum de rebus sibi cōmendatis, suo aut quolibet amicorum nomine pradia & mācipia emunt, & vt in propinquorum suorum ius cedant, statuunt, & ob hoc iura ecclesiastica conuelluntur, & ministeriū sacerdotale fuscatur, imò à subditis detrahitur, & contemnitur: placuit omnibus, vt deinceps auaritiā hoc genus caueatur. Fixumq; ab hinc & perpetuò mansurū esse decreuimus, vt episcopus res sui iuris, quas aut ante episcopatū, aut certè in episcopatu hāreditaria successione acquisiuit, secundū auctoritatem canonicā quicquid vult, faciat & cui vult, cōferat. *Ex eodē, cap. 5.*

Postquam autē episcopus factus est, quascunque res de facultatibus Ecclesiae, aut suo, aut alterius nomine, qualibet conditione cōparauerit, decreuimus, vt non propinquorum suorum, sed in Ecclesiae cui praeest, iura deueniant.

Ne episcopus de rebus viduatae Ecclesiae quicquam alienare praesumat. Cap. CCXV.

SI quis episcopus nulla ecclesiasticae rationis necessitate cōpulsus, in suo clero aut vbi fortè nō est presbyter, de rebus ecclesiasticis aliquid praesumpserit vendere: res ipsas Ecclesiae restaurare cogatur, & in iudicio episcoporum deiiciatur auditus, & tanquam furti aut latrocinij